LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

NONNULLI LOCI

EX

CICERONIS LIBRO „DE OFFICIIS“

TRACTANTUR

A

GUILELMO MALER,
Dr. phil.

Dissertatio inauguralis.



CARLSRUHAE, EX OFFICINA MALSCH ET VOGEL.

ALBERTO DE KAMPEN,

CAROLO GOECKER,
phil. Dr.,

AMICIS SUIS

D. D. D.

AUCTOR.

Quum in omnibus Ciceronis scriptis ars critica difficilis sit, tum in eis quae ad philosophiam spectant, quae Cicero non eo studio accurate conscripsit atque elaboravit quod in orationibus admiramur, sed quasi familiari potius sermone adhibito; atque in libris de officiis tractandis Cicero interdum hoc sibi indulsit, ut ab argumento de quo agit hic illic deflecteret, ita ut talia pro interpolatis haberi possint, etsi elegantissimam elocutionem in eis esse negari non possit; cujus rei exemplum infra afferam. Sed tamen revera multae interpolationes et additamenta hos libros insederunt, quae indicata jam sunt ab hominibus doctis; quorum inventis si meas quasdam dubitationes et conjecturas adjungam, venia

mihi detur ab aequis judicibus: breve enim otium mihi relinquebatur ad hanc opellam. Usus sum editione Baitero-Kayseriana quae et omnes graves varias lectiones et conjecturas hominum doctorum exhibet; ad quam editionem Heinius se applicavit in editione tertia sua horum librorum: ejus editionis et Ungeri disputationis, quae invenitur in Leutschii philol. suppl. vol. III., maxime in hoc libello ratio est habita. Heinius nimio interdum studio id agere mihi videtur, ut lectiones codicum conservet, Ungerus contra, qui Ciceronis verba a corruptelarum atque additamentorum sordibus purgare conatur, vereor ne hic illic audacius mutaverit verba scriptoris ac nimium tranpositionibus usus sit. Iidem homines docti de auctori-

tate codicum praecipue Bernensis c magnopere dissentiunt: Ungerus lectiones ejus proprias omnes ab erudito viro, qui ex ingenio hos de officiis libros recensuerit, profectas esse arbitratur, Heinius contra haud pauca ex fontibus antiquioribus receptas esse censet.

Jam, ut ad propositum progrediamur, aliquot de locis, de quibus mihi non convenit cum editoribus, accuratius disputare mihi liceat.



Primus quidem locus est in libri I. §. 8, qua paragrapho editoribus permultae difficultates contineri videntur. Quem locum Ungerus quoque in „philologo“ accuratius tractavit; sed a priore sententia (cf. edit. 1852 ad h. l.), ex qua totam paragraphum (8) secludi volebat homo ille doctissimus destitit; nunc verba tantum „atque etiam—perfectum“ et „atque ea sic definiunt—definiant“ pro spuriis habet arbitratus post vocem „vocant“ ob hoc „medium“ quod sequitur alterum „medium“ excidisse. Sed quamquam nemo negare poterit, hanc hujus hominis doctissimi sententiam peracute excogitatam esse, tamen videndum est, num causae quas ille quidem affert sint idoneae. Primum igitur verba: „atque etiam alia divisio est officii. Nam et medium quoddam officium dicitur et perfectum“ suspecta esse dicit, quod huic „alia divisio“ nulla divisio quae antecesserit respondeat. Si vero consideramus verba quae in initio cap. III. legun-

tur omnia bene quadrant. Cicero enim dicit: „omnis de officio duplex est quaestio“, hoc est: totus locus „de officio“ in duo genera dividitur, quorum priore quasi theoreticum, altero practicum quoddam continentur; quod Cicero ita exprimit: „unum genus pertinet ad finem bonorum, et quaestiones tractantur hae fere: omniane officia perfecta sint? numquid officium aliud alio majus sit? et quae sunt generis ejusmodi“; alterum genus officii ad institutionem vitae communis spectat. Hac di- divisione praemissa — est enim sane divisio — in §. 8 chiasmo utens Cicero pergit: „atque etiam alia divisio est officii. Nam et medium officium dicitur et perfectum“. Hoc medium officium idem esse mihi videtur atque quod appellavi practicum genus, cujus praecepta ad institutionem vitae communis spectant. Perfectum autem officium prius genus officii efficit, quod ad finem bonorum pertinet. Haec igitur omnia bene se habere videntur. Deinde Cicero iterum chiasmo usus pergit: perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quod Graeci κατόρθωμα: hoc autem (quod ad „medium quoddam officium“ attinet, ut pro „hoc“, quod cum propiore voce conjungi solet, exspectemus „illud“, quod ad remotius pertinet) commune officium vocant; hoc loco Ungerus „medium“ addi vult; sed non intellego, quomodo hoc fieri possit; tum enim Cicero diceret: „hoc autem (sc. medium officium) commune officium medium vocant“, quae tautologia non ferenda est et quae magis nos offendit, quam ea lectio quam Ungerus rejicit, ut infra videbimus.

Atqui Ungerus verba „nam et medium“ et qu. sequ. neglegit, cujus rationis nullam causam esse vidimus, contra non intellego, quomodo verba „perfectum officium rec-

tum" et qu. sequ. ad ea quae antecesserunt adjungi possint; nam si verba quae ante „perfectum officium" leguntur omiserimus, omnino intellegi nequit, quomodo fiat, ut Cicero contextu verborum plane neglecto, de officio perfecto agat quod nusquam antea commemoravit.

Verba igitur quae in codicibus inveniuntur conservo neque in verbis „hoc autem commune officium vocemus" haereo. Nam ut perfectum officium idem est ac rectum, et illud, quod Cicero in §. 7 dixit, quodque theoreticum genus vocavimus: ita commune officium et medium officium vel id quod Cicero verbis exprimit: „officia quae ad institutionem vitae communis spectant" est unum idemque; quod ex pluribus aliis locis apparet, ut afferam libri III. §. 14: „haec enim omnia officia, de quibus his libris disputamus (media Stoici appellant), ea communia sunt et late patent"; — et §. 15 c. 4: „haec igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quaedam honesta esse dicunt, non sapientium modo propria, sed cum omni hominum genere communia"; — et §. 17 „quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia comparari nec id, quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab eis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis umquam est comparandum, tamque id honestum, quod in nostram intellegentiam cadit, tuendum conservandumque nobis est quam illud, quod proprie dicitur vereque est honestum, sapientibus".

Quamquam hoc καθῆκον in codicibus non reperitur, tamen a pluribus editoribus ad membrorum aequabilitatem restituendam haud inepte additum est; nam a Ciceronis ratione dicendi, quod notiones et Latino ser-

mone et Graeco explicentur, non abhorrere, hi loci ejusdem libri ostendunt: I. §§. 93, 101, 104, 108, 142, 153; II. §. 18.

Sin veremur, ne contra codices hoc *καθῆκον* in verba scriptoris recipiamus, optime tamen locus explicari potest, neque „medium“, ut Ungerus vult, scribatur necesse est; nam ipse pag. 15 (l. l.) concedit, officium voce „medium“ non apposita Graecum *καθῆκον μέσον* medium officium significare. Praeterea autem „commune“ est additum, quod, ut supra demontravimus, idem ac medium est.

Sed transeamus ad verba „atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant“, quae item Ungerus rejicit, quoniam ad verba ab eo seclusa spectent. Haeret enim primum in eo quod eam definitionem esse negat; nam si „rectum officium“ „perfecto officio“ definiatur, tum etiam quaerendum esse, quid sit „perfectum officium“. Quod quidem mihi necessarium non esse videtur. Nam primum in Ciceroniana verborum definiendorum explicandorumque ratione minime haerendum est; multa enim Ciceroni obscura atque minus perspicua fuisse, quis est qui neget? Si igitur in definitione adhibenda circulo illo, quem vocant, utitur, Ciceronem vituperare non debemus, praesertim quum hoc loco magna obscuritas non oriatur. Nam Ciceronem exspectasse, ut „perfectum officium“ intellegeretur, verba quae jam in §. 7 legimus ostendunt, quamquam ne hoc quidem loco „perfecta“ illa officia accuratius explicantur. Deinde vero Ungerum verborum constructio offendit, quod Cicero dicat: „atque ea sic definiunt, ut definiant“. Ac recte quidem neglegentiam quandam scriptoris reprehendit. Sed id ipsum argumentum esse mihi videtur,

haec verba non a librario illata, qui haud dubie alterum „definiant“ vitasset, sed ab ipso Cicerone profecta esse, cui facile neglegentia ista ignosci potest, quamquam negari non potest, Ciceronem alia quoque scribendi ratione uti potuisse, ut legimus in §. 96: „quae autem pars subjecta generi est, eam sic definiunt, ut id decorum velint esse quod“ et qu. sequ.; — et §. 142: „Itaque, ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia rerum earum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum“. Et vide modo, quid in ejusdem libri III. §. 37 exstet, ubi legitur: „quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio, qui deliberant“, et qu. sequ.; — et III. §. 20 extr.: „nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maxime probabile occurat, id nostro jure liceat defendere; — et rectissime Beierus ad III, §. 37 locum ex Ciceronis libro de or. III. §. 39 affert, ubi scriptum est: „neque tamen erit utendum verbis eis, quibus jam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce; sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus.

Sed haec sufficiant, ut ostendam, Ungeri argumenta non satis valere, ut verba: „atque ea sic definiunt“ cetera pro commenticiis habeamus; sed contra neglegentia ista demonstrare videtur, haec verba non librario tribuenda esse, quippe qui sine dubio pro “definiant“ „dicant“ vel simile quid scripsisset.

Ad haec omnia id quoque addendum est, quod si verba „atque ea sic definiunt“ et qu. sequ. secludimus, ea membrorum inconcinnitas oritur, quae omnino non ferenda est. Tum enim alterum genus officii quod

„medium“ vocatur definiretur, quum prius genus sine ulla causa definitione careret. Minime igitur Ungero et Heinio quos offendit hic locus assentiri possum.

In eis quae antecesserunt Heinius lenem Mutheri mutationem probat, qui „quae“ pro „quorum“ commendat. Cicero enim dicit, omnem de officio quaestionem esse duplicem: unum genus pertinere ad finem bonorum, quod supra jam „theoreticum“ genus vocavimus; altero practico, ut ita dicam, praecepta contineri, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit, praecepta igitur de officiis tradita. Cicero postquam tum aliquot exempla prioris generis attulit, ita pergit: „quorum autem officiorum praecepta“ cetera; haec verba in codicibus exstant. Sed offendunt viros illos doctos verba „quorum officiorum“, quoniam antea de officiis omnino non agatur, sed de divisione tantum officiorum; hoc „quorum“ autem ad compluria in eis quae antecesserint enumerata officia spectare, de quibus nihil legatur. Si igitur „quae“ pro „quorum“ scribatur, omnia bene habere putant; nam tum verba „quae officiorum praecepta“ cohaerere cum eis, quae supra legantur: „alterum quod positum est in praeceptis“ cetera. Sed quamquam antea in universum de divisione tantum officiorum erat sermo, Cicero tamen hoc jam loco ad duo illa genera aliquid addit; ita ad unum genus officiorum sive theoreticum verba spectant: „superioris generis hujus modi sunt exempla, omniane officia perfecta sint, num quod officium aliud alio majus sit, et quae sunt generis ejusmodi“; ad alterum sive practicum, quod positum est in praeceptis verba adjecta sunt: „quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea (sc. officia) quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen

minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur: de quibus (sc. officiis) est nobis his libris explicandum". Sane igitur de officiis agitur, et „quorum" locum suum habet, neque est necessarium a codicum lectione recedere

„Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent" et qu. sequ. Manifestum est in eis quae hic leguntur lacunam esse statuendam; Cicero enim disjungit certis verbis officia quae ad finem bonorum pertinent et quae posita sunt in praeceptis, quae ad institutionem vitae communis spectant; sed haud ignorat theoreticum illud genus a practico quod nominavi non ita sejungi posse, ut non unum in alterum transeat; quare de altero genere adnotat haec: „ea quamquam pertinent" et qu. sequ., quae adnotatio intellegi nequit, si legimus quod libri praebent: „ea quamquam pertinent ad finem bonorum"; immo vero non pertinent ad finem bonorum, sed ad vitae usum. Quare ante „ad finem bonorum" „etiam" vel „et ipsa" supplendum est, ita ut legam: „quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent etiam ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur"; quae verba per attractionem quandam miro modo posita sunt pro: „quamquam officiorum praecepta quae traduntur etiam ad finem bonorum pertinent, tamen" et qu. sequ., quamobrem hoc „ea" consulto a Cicerone scriptum est.

Transeamus ad §. 19:

Cicero enim in eis quae antecesserunt de prudentia agit, quae in veri cognitione posita sit, in qua investigatione duo vitia vitanda esse dicit; unum, ne incognita pro cognitis habeamus, alterum, ne nimis magnum studium in res obscuras atque difficiles easdemque non necessarias conferamus. Deinde exemplorum causa C. Sulpicium et Sext. Pompejum et alios affert, qui suo jure in rebus honestis et cognitione dignis operam curamque posuerint; tum pergit Cicero: „quae omnes artes in veri investigatione versantur, cujus studio a rebus gerendis abduci contra officium est". Jam verba „cujus studio a rebus gerendis" cet. suspiciosa esse mihi videntur; nam quum Cicero de duobus vitiis agat, quae ex veri cognitione exsistant, incommode verba „cujus studio" et qu. sequ. addita sunt, in quibus tertium vitium inesse videtur, quod aut in priore, aut in altero inesse nemo confirmare poterit. Tum verba sequuntur, quae id affirmant, quod proxima negative elocuti sunt: contra officium est studio veritatis a re publica abduci; nam omnis laus virtutis in actione consistit; quae verba in hunc locum omnino non quadrant. Nam de actione publica — ita enim verba „a rebus gerendis" intellegenda sunt — hoc loco minime agitur, sed de perspicientia veri atque sollertia (§. 15), quae virtutes plane abhorrent ab actione; de actione autem Cicero alio loco (§. 153) agit, ubi dicit: „cognitio contemplatioque rerum naturae manca quodammodo atque inchoata sit, si nulla actio consequatur" (cf. §. 158). Tum verba „a qua tamen intermissio saepe multique

reditus“ prorsus glossematis speciem prae se ferunt; nam quamquam elegantissime sunt addita, tamen sensui hujus totius loci convenire non possunt. Cicero enim non id praecipere vult, ut otio tantum dato studia tractanda sint, sed in universum dicit, honestum primum ex indagatione atque inventione veritatis oriri.

Verba quae deinde leguntur „tum agitatio mentis, quae numquam acquiescit, potest nos in studiis cognitionis etiam sine opera nostra continere“ maxime obscura sunt; explicari quidem possunt, ita ut „sine opera nostra“ significet: „ad veri investigationem non semper otium requiritur“; sed tum ad verba „a qua fit intermissio“ cetera spectant, quae glossema esse modo vidimus. Evolve id quoque, si placet, quod dicitur §. 17: „ordo item et constantia et moderatio et ea quae sunt his similia versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio“. Omnia igitur haec verba quae nunc consideravimus conferri possunt cum eis quae Cicero in §. 153 dicit: „Etenim cognitio contemplatioque naturae manca quodammodo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur; pertinet igitur ad societatem generis humani: ergo haec cognitioni anteponenda est“; et cf. §. 160: „etenim cognitionem prudentiamque sequetur considerata actio; ita fit ut agere considerate pluris sit quam cogitare prudenter“. Sed quomodo in hoc loco verba collocanda sint, de ea re nihil certi dici potest; nam optime ad hanc §. 160 quoque quadrarent haec verba.

Verba denique „omnis autem cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et per-

tinentibus ad bene beateque vivendum aut in studiis scientiae cognitionisque versabitur", divisionis forma adhibita hoc loco ineptissime simili modo dicta sunt, ac Cicero persaepe exponere solet; sed ob id ipsum saepe haec forma imitando efficta est, quare multa glossemata in margine adscripta sunt, quae postea in verba ipsa scriptoris a librariis recipiebantur. Cujus sententiae exemplum continuo afferam. Ut igitur ad hunc locum quem tractamus redeamus enuntiationis istius notiones et §§. 153 et 158 et 160 et III. §. 4 desumpta esse videntur, ubi verba exstant quae ibi leguntur et ad §. 18 respiciunt, ubi scriptum est: „omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem errare, nescire decipi et malum et turpe ducimus".

Ex mea igitur sententia eis causis quas modo attuli verba: „cujus studio" usque ad „versabitur" commenticia habenda sunt, ut verba „ac de primo quidem" cetera commodissime ad verba, „quae omnes artes in veri investigatione versantur" adjungantur. Ac fortasse librarius ad hanc interpolationem perductus est similibus illis verbis „versantur" et „versabitur". Sed de originibus talium glossematum dubitari potest. Et hic fortasse (et cf. §. 160) habemus locum — nisi doctum aliquem lectorem haec verba inseruisse existimes — ubi Cicero ipse in argumentatione longius a proposito declinavit, ita ut verba illa a Cicerone liberiore quadam sermonis ratione uso sint addita.

Duos tantum locos libri I., qui interpolati mihi videntur tractabimus, quorum primus §. 128 invenitur,

ubi in codicibus legimus: „nec vero audiendi sunt Cynici aut si qui fuerunt Stoici paene Cynici, qui reprehendunt et inrident, quod ea quae re turpia non sint, nominibus ac verbis flagitiosa dicamus; illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis“. Ante omnia videndum est de lectione „dicamus“, quod est in editione Heiniana. Cicero dicere videtur hoc: Cynici nos vituperant, quod ea quae re turpia sint non veremur nominibus suis significare, illa autem quae re non sint turpia non appellemus nominibus suis sed alia verba praetendamus, quo naturalia — Cynicorum sententia — flagitiosa esse significemus. Ergo non judicium nostrum, quid nos de rebus naturalibus judicemus vel sentiamus impugnant Stoici, sed significandi rationem et genus dicendi; et membrorum aequabilitas ostendit, scripturam „dicamus“ esse praeferendam, quod voci „appellemus“ respondet. Atque „verbis ducere aliquid flagitiosum“ et a sensu communi et a sermone Latino abhorret; hoc „verbis“ ita explicari potest, ut circumscribatur vocibus „cum dicimus“, ita ut sit sensus: Cynici nos reprehendunt, quod ea quae re, hoc est: *cum facimus* turpia non sint, putamus turpia fieri vel flagitiosa *cum dicimus* id est: verbis, quae cum significemus nominibus non propriis, hoc ipso flagitiosa dicamus; quae artificiosa explicatio ferri nequit, quare lectionem „dicamus“ restituendam esse puto. — Agitur hoc loco de decoro, quod in motibus externis spectatur et ut obscoena occulta esse debeant praecipitur, aperta honesta; cavendum autem esse, ne res quasdam per se ipsas minime obscoenas nominibus suis vocemus; quare Cicero pergit: „non audiendi sunt Cynici“ et qu. sequ. Ut facile intellegitur,

discrimen est inter ea, quae *re* turpia sunt et *nomine*. Quare a codice Bernensi c (et p, qui codici c propinquus videtur), qui summam perpicuitatem atque elegantiam adfectat, rectissime in priore membro hoc „re“ additum esse videtur; sed quia constat scriptorem codicis illius nimio perpicuitatis studio adductum multas verborum transpositiones ac permulta additamenta audacter fecisse, hoc quoque loco ad alterum membrum alterum „re“ addit; non recte igitur editores fecisse mihi videntur, qui hoc „re“ neutro loco scribi volunt, sed sane oppositio postulat, ut „re“ semel idque in priore membro ponatur. Simili fere modo res se habet, si in codice c legimus: „nominibus ac verbis flagitiosa dicamus“, quod Ungerus recepit. Sed equidem puto hanc vocem „nominibus“ eadem ex causa additam esse ac duplicem „re“. Nam vide modo ea quae sequuntur: „nominibus appellemus suis“, et deinde „liberis dare operam *re* honestum est, *nomine* obscoenum“. „Nominibus“ igitur ante „verbis“ glossema esse arbitror, quod scriptor codicis c, quum in verbis quae sequuntur non „verbis“ sed „nominibus“ et „nomine“ legeret, huic „verbis“ addidit. Ex mea igitur sententia Cicero fortasse ita scripsit: „quae re turpia non sint, verbis flagitiosa dicamus; illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis“.

Alter locus est in §. 132. Cicero in §. 126 dicit de decoro, ut jam vidimus, quod in motibus externis cujusdam personae cernitur, et pergit §. 130 aliquid animadvertere de pulchritudine corporis, de formae dignitatis et bonitate coloris, de munditia, vestitu, ingressu; denique elaborandum esse, ne animi motus a natura recedant; quod assequemur, si cavebimus, ne in perturbati-

ones atque exanimationes incidamus. Tum ridicula quaedam divisio animi motuum sequitur, quam ex §§. 101 et 102 desumptam esse statuo. Et quis est qui neget, haec verba in hoc loco incommodissime posita esse? Nam toto loco agitur de externis motibus, qui quidem ab animi perturbationibus proficisci possunt; sed quomodo Cicero hoc loco divisionem illam affere potuerit, equidem non intellego. Nam si exprimeretur, qua ratione illi animi motus hominis externum afficerent, ita ut aliquid dedecoris oreretur, haec verba melius convenirent, sed his omnibus omissis, divisio illa animi motuum hoc loco omnino ferri nequit. Quare verba: „motus autem animorum" usque ad „praebeamus" secludi velim.

Nunc accedamus ad locum, qui nobis offertur in I. §. 104, ubi in codicibus verba leguntur haec: „facilis est igitur distinctio ingenui et illiberalis joci. Alter est si tempore fit, ut („et" habet c) si remisso animo homine dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas". Agitur enim hoc loco de jocandi genere, quod duplex est, uno illiberali, obscoeno, altero urbano, ingenioso. Primum brevi dicendum esse videtur, verba „si tempore fit" ad §. 142 pertinere, ubi de occasione, quam Graeci εὐκαιρία appellant, accuratius agitur, et recte explicantur „suo tempore, justo tempore"; neque vero necessario sequenda fuit Baitero sententia Fleckeisenii, qui „in tempore" legi vult, quoniam, ut Zumptius in grammatica §. 475 docet, particula „in" vel posita vel omissa, ablativus „tempore" hac significatione usurpetur. — Tum vox „remissus" explicanda est; significat eum qui relaxatus est; imago enim ab arcu de-

sumpta est, ut Horatius in carminum libri III. carm. XXVII versu 67 dicit:

> Aderat querenti
> Perfidum ridens Venus et remisso
> Filius arcu;

tum autem usurpatur translato sensu, ut significet: „laxus, lenis, otiosus, hilaris", contrarium vero sit „tristis" vel „rigidi", id quod Beierus aliquot ad hunc locum allatis locis exempli causa probat. Hanc significationem in locum, qui nunc tractatur, introducamus: Interpretes autem duas vias in tractandis his verbis ingressi sunt: atque alii „remisso animo" cum verbis „si tempore fit" conjungunt, quare codicem c secuti scribunt „et", aut quod Madvigius conjecit: „aut si", aut Ungeri sententia probata, qui prius censuit: „ut sit remissio animo" scribendum esse; alii simpliciter verbis „ut si" et „animo" neglectis, „remisso" cum „homine" conjungunt. Ut sententiam posteriorem prius tractemus, ante omnia minime probari potest, quod tria verba contra codices e textu ejiciuntur; tum tantum haec verborum ejiciendorum ratio probanda esse videtur, si glossema manifestum est, quod hoc loco probari non potest. Deinde autem quis est qui neget, jocum „remisso" hoc est hilari homine dignum esse? hoc per se patet. Ac pariter res se habet, si cum aliis editoribus legimus: „aut si remisso animo" hoc est: „si homo hilaris est, jocari ei licet"; id Cicero dicere hoc loco minime potuit. Plerique igitur interpretes contrarium istius „ne libero quidem" restituendum esse censent, in qua sententia conjecturae latus campus patet; quare permultae mutationes tentatae sunt, quae omnes non satisfaciunt Accuratissime

de hoc loco Ungerus agit (l. l. p. 37), qui codicum scriptura servata contra priorem sententiam quam in editione hujus libri prodidit, plurimis verbis demonstrare studet, omnia bene se habere: scribit enim: „ut si remisso animo“ et conjungit haec verba cum „fit“, quod antecedit; censet ille, hoc „tempore“ verbis „remisso animo“ explicari, quod nisi hoc fiat „tempus, quo jocari liceat“ intellegi non possit, id quod fiat ablativo temporis „remisso animo“; sed prorsus intellegi non potest, si verba „si tempore fit“, ut jam diximus, cum §. 142 conferimus, quae accuratius de tempore justo agit. Absurdum quoque videtur contendere „remisso animo“ ablativum temporis esse, qui nil nisi ablativus qualitatis esse potest. Omnibus aliis sententiis omissis, Madvigii tantum commemoro conjecturam, qui „magno homine“ scribendum proponit. Sed ne hoc quidem placet.

Summam autem difficultatem, Ungerus pergit, in contrario „alter est homine dignus, alter ne libero quidem“ inesse; peracute igitur ostendere studet, et „hominem“ idem esse ac „libero“, et „libero“ ac „remisso“, ita ut suppleat: „alter est, si tempore fit ut si remisso animo fit, homine dignus; alter ne si remisso quidem animo fit, homine dignus“. Sed tamen ne haec quidem explicatio quamvis subtiliter exposita, quippe quae nimis artificiosa sit, verisimilis videtur. Ante omnia adjectivum desideratur pertinens ad „homine“, neque putaverim, Ciceronem „liberum“ et „hominem“ ita promiscue usurpasse, ut unum pro altero poni possit. Rectissime vero ab Ungero dictum esse mihi videtur, contrarium illud, quod ad „ne libero quidem dignus“ exspectetur, non in „homine dignus“ quaerendum, sed his fere verbis supplendum esse:

„quamquam libero Romano permulta facere licet, quae servis vel mulieribus minime conceduntur, tamen obscoenum jocandi genus ne libero quidem dignum est“; nam vide id quod legimus libri II. §. 57: „bene etiam conligit haec pueris et mulierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata, gravi vero homini et ea, quae fiunt judicio certo ponderanti probari posse nullo modo“. Constat igitur verba „ne libero quidem“ non opposita esse illis „ut si remisso animo homine dignus“. Sed ne spectare quidem haec verba ad illa contendam. Nonne Cicero scribere potuit „si tempore fit *vel severissimo homine* dignus, alter ne libero quidem“? Nam ex ul facillime et uel et ut oriri potuit. Deinde, quia probari potest, notissimas voces, ut: „exercitus, respublica, populus, animus, corpus“ similia per compendia scriptas fuisse, ut multa saepe non satis intellegerentur, hoc quoque loco corruptelam statuere possumus; nam in codicibus exstabant haec:

ul siuerissvmo homine,

quod equidem lego:

uel seuerissumo homine;

potuit quoque aliquis legere ita:

ut si remisso amo (= animo) homine.

Fortasse — si verba „aut si remisso animo“ quae tum bonum sensum praebent non facile desideras — propter similia verba factum esse probabile habeas, ut „aut si remisso animo“ servaretur et „vel severissimo homine“ amitteretur, ita ut Cicero scripserit: „si in tempore fit aut si remisso animo vel severissimo homine dignus“ et qu. sequ.

In libro III. §. 16 omnes codices praeter Palatinum solum haec verba praebent: „Nec vero cum duo Decii

aut duo Scipiones fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab his justitiae tamquam a sapiente petitur exemplum" et qu. sequ.

Cicero de duobus honesti generibus disputat, quorum alterum hoc modo libro III. respicit („officia media" quae dicuntur „virorum bonorum") quum „officia recta sapientium" in prioribus duobus libris tractantur; dicit igitur homines quos bonos esse vulgus dicere soleat revera perfectam veritatem atque absolutam non assecutos esse, nisi conservatione officiorum non bonos eos existimari; tum pergit: „nec vero cum" cetera.

Hoc loco editores in verbis haeserunt: „aut quum Fabricius aut Aristides justus nominatur". Causae quas afferunt homines illi docti nobis nunc considerandae sunt: quod primum ad conexum verborum attinet, mirum esse dicunt, quod Aristides hoc loco inter Romanos a Cicerone memoretur, quippe qui non facile de exemplis a Romanis petendis in dubio esse potuerit. Recte quidem; ac permulti alii loci, quibus Romani laudantur, Ciceronem quam excellentes cives proferre potuerit non ignorasse demonstrant; sed tamen non valde mirum est, quod uno et quidem hoc loco Cicero Romanos et Graecos promiscue commemorat. Aristides enim ex omnium qui tunc erant sententia notissimum justitiae exemplum fuit, quod perpicitur ex multis aliis Ciceronis locis*), ut optime

*) Sest. 67, 141 „(Aristides) qui unus omnium justissimus fuisse traditur". Tusc. V., §. 105 „Aristides nonne ob eam causam expulsus est patria, quod praeter modum justus esset?" De fin. bon. et mal. V., §. 62 „quis Aristidem non mortuum diligit". De off. III., §. 49.

juxta Fabricium locum suum obtineat; et vide modo quod Cicero §. 87 dicat „utrum igitur utilius vel Fabricio qui talis in hac urbe qualis Aristides Athenis fuit etc.?“

Jam ad ea transeamus, quae editores grammaticorum praeceptis repugnare dicunt: Heinius enim haeret in numero singulari: „justus nominatur“, qui positus sit, quamquam, ut dicit, pluralis antecesserit. Pluralem „commemorantur“, locum habere, nemini mirum erit, singularem autem particulis disjunctivis usurpatis non minus quam pluralem inveniri, aliquot loci ipsius Ciceronis demonstrant. Et non solum subjecta particulis copulativis vel adversativis conjuncta, sed etiam sine particulis composita verbum in singulari habent: ita Cic. de div. I. §. 84: „hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utitur“; Cic. pro Mur. c 7: „et proavus L. Murenae et avus praetor fuit“; Brut. c 8. „Nam Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Cleus in honore magno fuit aliique multi temporibus iidem; de or. I. §. 262: „haec cum Antisthenes dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius et Cotta; de or. II. §. 12 „qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilaus fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso“; de am. §. 14 „quum et Philus et Manilius adesset et alii plures“; Tusc. V. 26 „si Socrates aut Antisthenes diceret“; de off. I., 97 „si Aeacus aut Minus diceret“. Sed haec exempla sufficiant.

Porro Heinius adnotat optimos Lactantii (instit. divin. VI., 6) codices „ab hoc“ praebere; sed Heinius totum afferre locum debebat, qui apud Lactantium non in optimis tantum sed in omnibus libris ita legitur: „umbra

est igitur et imago justitiae quam illi justitiam putaverunt. Quid sapientiam? nonne idem confitetur in philosophis esse nullam? aut cum Fabricius (inquit) fortis, aut Aristides justus nominatur, aut *ab illo* fortitudinis, aut *ab hoc* justitiae tamquam a sapiente petitur exemplum; nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intellegi, nec hi qui" et qu. sequ.

Manifestum igitur est, Lactantium „ab his" scribere non potuisse; et rectissime Josephus Isaeus Caesenas in editione sua Romana (MDCL) ad hunc locum hoc scripsit: „aut cum Fabricius (inquit) fortis] Mutilus est et nonnihil variat hic Ciceronis locus apud auctorem nostrum; nam Cicero sic habet: „aut cum Fabricius aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab his justitiae petitur tamquam a sapiente exemplum"; et quidem Fabricium Cicero numquam ad fortitudinis sed ad justitiae adducit exemplum; et eodem lib. III. off. eum ait Romae idem fuisse, quod Athenis Aristides. Unde hic fortasse vox „fortis" abundare videatur et *totus locus ex Cicerone restituendus*;" quae Josephi Isaei Caesenatis nota in editione Parisina („cui manum primam adhibuit Joannes – Baptista le Brun, Rothomagensis, extremam imposuit Nicolaus Lenglet Dufresnoy, Presbyter ac Theologus Parisiensis; Lut. Paris. apud Joannem de Bure MDCCXLVIII") recepta et hoc adjectum est: „aut cum Fabricius, inquit, aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab his justitiae petitur t. a. s. e.] hunc locum sic emmendavi et restitui, non solum ex 8 MSS Reg. 4 Colb. aliisque, sed etiam ex Cicerone, expuncto nomine „fortis" post „Fabricius" ita ut vox „illis" referatur ad duos Decios et duos

Scipiones, quos Cicero viros fortes mox commemoravit. Sic habetur hic locus apud Ciceronem lib. III. off. c. 4 „aut cum Fabricius“ cetera; unde hic vox „fortis“ abundare videtur et „*locus ex Cicerone restituendus*“.

Ex Lactantio igitur „ab hoc“ non est recipiendum; tum enim totus locus eodem jure ex Lactantio erat emendandus, quod nemo volet. Sed Lactantium quod ad lectiones traditas attinet non esse magni momenti, hi fere loci demonstrant: Lactantius div. inst. VI., 11 locum ex Ciceronis off. II. § 54 attulit ita: „nonumquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum, et saepe idoneis hominibus *egentibus* de re familiari impertiendum“; apud Ciceronem autem haec legimus: „nonumquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum *est* et saepe idoneis hominibus *indigentibus* de re familiari impertiendum“ – et in §. 53, quae antecedit, exstat „ita benignitate benignitas tollitur“. Lactantii autem codex unus praebet: „ita bonitas benignitate tollitur;“ et hic quoque locus ex Cicerone a Lactantii editoribus est restitutus; — et Lact. VI., 6 haec inveniuntur: „umbra et imaginibus utimur *easque* ipsas utinam sequeremur: feruntur enim *ab* optimis naturae ac veritatis exemplis;“ apud Ciceronem III. §. 69 hoc scriptum est: „umbra et imaginibus utimur *eas* ipsas utinam sequeremur: feruntur enim *ex* optimis“, et qu. sequ; — et confer, si placet, Lact. III., 29, ubi exstant verba: „magnam (inquit) esse fortunae vim in utramque partem *quis nesciat?* nam et cum prospero flatu ejus utimur ad exitus *pervenimus* operatos et cum *reflaverit* affligimur;“ ex quo loco Heinius Ciceronem corrigere nolet qui II. §. 19 scribit: „magnam vim

esse in fortuna in utramque partem *uel secundas ad res vel adversas, quis ignorat?* nam et cum prospero flatu ejus utimur ad exitus *pervehimur* optatos et cum *reflavit* affligimur.“ Multa alia ejusmodi exempla afferre possem; sed haec sufficiant.

Priusquam igitur Ciceronem ex Lactantio restituendum esse statuamus, demonstrari oportet, Lactantium optimis Ciceronis codicibus usum esse.

In universum iterum consideranti quae editores qui verba „aut Aristides“ glossema esse censent pro sua sententia afferunt, causae minus idoneae esse mihi videntur, contra alteram sententiam quae verba illa servari vult omnes fere codices adjuvant. Aliae igitur lectiones — ut afferam unius dete ioris codicis, qui praebet „Aristi desve“ — et conjecturae hominum doctorum mihi non sunt respiciendae; ac potius verba quae in omnibus libris legimus ob eas causas quas brevi adumbravi servanda esse mihi videntur, nisi hunc locum primo jam vel secundo seculo p. Chr. n. interpolatum esse probas.

In eis quae insunt in §. 82 miror, quod Heinius verba servet „quid enim interest, utrum ex homine se convertat quis in beluam an hominis figura immanitatem gerat beluae?“ quae pro comenticiis ducenda sunt; et quae Baiterus in editione rectissime uncis seclusit. Nam cum enuntiationibus quae antecedunt non cohaerent. Primum si verba ipsa accuratius consideramus, illud „figura hominis“ particula „in“ in codicibus omissa, editores offendit, quare alii contra codicum auctoritatem „in“ addiderunt, alii ita explicant, ut verbis circumscribant „quum figuram hominis gerat“ vel „quum figura ei humana sit“; sed si ita explicamus, particula „in“ non

est omittenda. Sed „figura“ non ablativus qualitatis, ut Heinius explicat, sed nominativus esse mihi videtur.

Sed etiam ob sensum haec verba delenda esse censeo: Cicero dicit §. 81: „aut, illud quod utile videtur turpe ne sit, aut si turpe est, ne videatur esse utile“; hoc praecepto pluribus exemplis illustrato dicit, quid de hac re sentiat, res quae expetatur nullum affere commodum, prae quo nomen viri boni amittatur atque justitia; tum verba illa sequuntur: „quid enim interest“ et qu. sequ., quae verba eum locum in memoriam nobis revocant, qui supra invenitur in §. 32, ubi de tyrannis agitur. Atque Cicero nihil taetrius cogitari posse dicit, quam eos qui in libera civitate regnare velint; quare suo jure illos homines cum beluis comparat eorumque cupiditatem omnino improbat; ita igitur legimus in §. 32: „etenim ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine et tamquam spiritu carere coeperunt, et nocent reliquis partibus corporis, sic ista in figura hominis feritas et immanitas beluae a communi tamquam humanitatis corpore segreganda est“.

Nullo igitur modo intellegi potest, Ciceronem in tam leni vitio tractando quod in §§. 79 sequ. exponit, eadem acerbissima voce usum esse, atque eo loco, quo de sceleratissimis hominibus agitur; quisque intelleget verba „quid interest“ cetera hoc loco incomodissime posita esse. Cujusnam enim rei causa afferatur?

Id ipsum Ungerus quoque vidit, quare de transpositione verborum cogitat: verba enim „quid interest“ cetera post enuntiationem: „capitalis Eteocles“ et qu. sequ. in fine §. 82 poni vult, ita ut pro „vel potius Euripides“ scribat „vel potius ipse“ (hoc est „Caesar“). Sed primum mihi quidem incredibile videtur, a Cicerone

Caesarem ita cum Eteocle conjungi, ut dicat: „capitalis Eteocles vel potius Caesar, qui id unum, quod omnium sceleratissimum fuerit, exceperit!“ Ac potius pro certo habeo „vel potius Euripides“, ut in omnibus codicibus legitur adnotationem librarii esse, ad vocem Eteoclis, quam item adjectam esse Baiterus arbitratur.

Atque etiam si verba in illum locum transponimus, quid lucrabimur? ne hoc quidem loco bene se habent; neque enim puto dici posse: „quod tyrannus sceleratissimus homo est, ideo nihil interest, utrum ex homine se quis convertat in beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluae.“ Exspectaremus potius sententiam: „quod tyrannus propter immanitatem animi cum belua comparari potest, omnino ex civitate rejiciendus est; nihil enim interest, utrum“ et qu. sequ. Verba igitur „quid interest“ cetera id probare debere mihi videntur, quod Cicero dicit in §. 32: „tyrannus belua est“. Si igitur transpositionem verborum probemus, haec verba in illo tantum loco post verba „segreganda est“ ponere possumus; sed quomodo transpositio ista facta sit, vix explicari possit. Sed haec verba hoc loco (§. 82) posita aperte glossema sapiunt.